



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiae Gallicanae, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IX. Leo adversus Hilarium decernit uti suis unusquisque limitibus ac terminis contentus esset, & ne quis privilegium sibi debitum transferre in alium præsumeret.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

loquitur Valentinianus: *Hilarius enim, qui Episcopus Arelatensis vocatur, Ecclesie Romanae urbis inconsulto Pontifice indebitas sibi ordinationes Episcoporum sola temeritate usurpans invasit. Nam alios incompetenter removit, indecenter alios invidit & repugnantibus civibus ordinavit. Qui quidem quoniam non facile ab his qui non elegerant recipiebantur, manum sibi contraherebat armatam, & claustra murorum in hostilem morem vel obsidione cingebat, vel aggressionem referabat, & ad sedem quietis pacem predicaturus per bella ducebat.* Fatale fuit illud aeo Leonis in Vicariis apostolicae sedis, ut publicorum officiorum ministerio uterentur ad asserendam auctoritatem suam. Nam supra vidimus eadem tempestate qua haec Hilario objiciebantur, Anastasium Thessalonicensem sibi exhiberi per publicam potestatem fecisse Atticum veteris Epiri Metropolitanum, eò quod Thessalonicam fecundum morem non accessisset in initiis suae ordinationis. Quanquam puto Leonem, qui exacerbato adversus Hilarium animo erat, magnificis ista verbis elocutum esse, ut invidiam ei pararet apud Episcopos Gallicanos, rarus ea ratione imminutum iri nimiam istius potentiam, quae Romano nomini insultabat. Durum enim Leoni erat ista tentari ab homine qui auctoritatis suae initia Romanae sedis deberet, quae causarum cognitionem intra Gallias commiserat Episcopo Arelatensis Ecclesiae. unde illi initium magnitudinis & invadendi in auctoritatem exarchicam argumentum in speciem probabile. Nam ista omnia usurpata ab Hilario esse censet illustrissimus Archiepiscopus in consequentiam vicariae potestatis quam Zoimus delegaverat Arelatensibus Episcopis, vi cujus illis auctoritas quaedam cogendarum in Galliis synodorum competere videbatur.

IX. Gallicanarum Ecclesiarum administrationem revocare in ordinem cupiens Summus Pontifex, simul castigaturus Hilarium, decrevit uti suis unusquisque limitibus ac terminis contentus esset, & ne quis privilegium sibi debitum transferre in alium praesumeret. Quod decretum est adversus Metropolitanos, qui non invitati consenserant iura ordinationum per provincias Gallicanas in Episcopum Arelatensem esse translata. Quapropter ne deinceps Metropolitanus hunc honorem Hilario haberent, gravem refractarius poenam intentat his verbis: *Quod si quis negligens apostolicas sanctiones, plus gratiae tribuens personali, sui honoris desertor esse voluerit, privilegium suum in alium transferre se posse credens, non is cui cesserit, sed is qui intra provinciam antiquitate episcopali ceteros praevenerit, sacerdotes ordinandi sibi vindicet potestatem.* Haec ita prudentissime sanciebat Leo, ut

Tom. II.

metum incuteret ei qui Metropolitanum Arelatensem agere consentiret ordinationes in sua provincia, cum decerneret ut is inhonoratus & inglorius esset inter suos comprovinciales, & se ipso factus videretur inferior, cum videret consecrationum jus sibi debitum ad Episcopum minoris civitatis esse translatum. Nihil enim facilius aut potentius cohibet homines quam metus ignominiae aut dedecoris.

X. Attamen non putavit satis hoc remedio provisum adversus potentiam Hilarii. Nam postquam eum redarguerat quod in aliena provincia ordinationes celebrare praesumeret, id usurpans quod nullus decessorum ejus ante Patroclum habuit, cum & ipsum quod Patroclus a sede apostolica temporaliter videbatur esse concessum, postmodum sit sententia meliore sublatum, transit ad summam rerum, ad celebrationem nimirum Conciliorum generalium Galliae, quorum congregandorum potestatem adimit Hilario, illum praeterea privans auctoritate metropolitana in provincia Viennensi, tantum illi servato civitatis suae sacerdotio. Haec sunt verba legis: *Suis unaquaque provincia sit contenta Conciliis, nec ultra Hilarius audeat conventus indicere synodales, & sacerdotum Domini iudicia se interfecendo turbare: qui non tantum noverit se ab alieno jure depulsum, sed etiam Viennensis provinciae, quam male usurpaverat, potestate privatum.*

XI. Quia vero videbat fueros magnis Conciliis Gallicanos Episcopos, facile conventuros ad evocationem Hilarii, si nulla alia auctoritas esset intra Gallias quae synodos hujuscemodi congregare posset, partem hanc potestatis Hilarii transfert in Leontium Episcopum Foro-Julientem, qui vetustate ordinationis reliquis partium illarum Episcopis anteibat. Ista tamen minime sui securus constituit, metuens ne Episcopi illi nolent excutere imperium Hilarii, ut Leontij iussa spectarent. Itaque ei potestatem faciens congregandi Concilia ex diversis provinciis, primo non hoc illi tribuit ut istiusmodi Concilia congregare possit pro suae voluntatis arbitrio, sed cum Episcopi ita putaverint esse faciendum. Deinde non jubet pro imperio uti Concilia celebrari non possint praeter consensum Leontij, sed Episcopos orat uti hunc ei honorem habere velint. Unde colligi potest indignasse Leonem consensu Episcoporum ut rarus esset honor quem ipse tribuebat Leontio. Et quoniam, inquit, honoranda est semper antiquitas, fratrem & coepiscopum nostrum Leontium probabilem sacerdotem hac, si vobis placet, dignitate volumus decorari, ut praeter ejus consensum alterius pro-

N